

Secunda.

Secunda. Ad noticiam materiæ, tantum devenimus per varias transmutationes; hæc enim viâ Arist. agnoscitur admittendam esse materiam, sed in cœlis nullæ sunt transmutationes substantiales, ergo maximum est indicium in illis materiam nullam reperiri.

Respondeo ad *primam*. Concedendo minorem. & distinguendo maiorem: quod habet materiam sublunarem, concedo: quod habet materiam cœlestem, nego: ad probationem verò dico, materiam, quæ habet appetitum ad diversas formas esse, subiectum corruptionis: id id verò nego de materia, cuius appetitus satiatur per unam formam, qualis est materia cœlorum; nam si ratio, cur materia sit subiectum corruptionis, est, quod habeat indifferentiam ad plures formas, nec ultimæ satiatur per unam; & materia cœlorum talem non habeat indifferentiam, sequetur materiam cœlorum non esse subiectum corruptionis.

Respondeo ad *secundam*. Primam viam agnoscendi materiâ fuisse per transmutationes varias: at postquam sic cognita est materia, deinde intellectus etiam in his rebus, quæ nullam patiuntur corruptionem agnoscit materiam, ex eo scilicet, quod varia accidentia materialia nos deducant ad materiæ cognitionem, etiam absque illa transmutatione; quia enim similia accidentia reperimus in rebus, quæ non transmutantur, nempe calis, cum ijs rebus quæ transmutantur, nimirum sublunaribus & insubunaribus, ponimus materiam; necesse quoque iudicamus eam ponere in corporibus cœlestibus. Sed status propositæ in titulo difficultatis est, an materia cœlorum sit eiusdem speciei cum materia sublunariū corporū, vel diversæ? item, an accidentia cœlorum sint eiusdem speciei cum accidentibus rerum materialium sublunariū?

Hoc examinant plures Theologi ut Alex. de Ales 2. p. *Summa* q. 44. membro 2. D. Th. 1. p. q. 66. art. 2. Caiet. *ibidem* & alij Thomistæ. D. Bonavent. in 2. *dist.* 12. q. 1. Scotus *dist.* 14. q. 1. Argent. *dist.* 12. art. 4. & alij plures Theologi. Philosophi verò de hac re agunt aut in 2. *Phys.* aut in *lib.* 1. de cœlis. Item in *Metaph.* ut Iauellus *lib.* 8. q. 13. Socraticus *lib.* 12. q. 9. Suarez *dist.* 13. *sect.* 11. & alij.

Materiam cœlorum esse eiusdem speciei cum nostrate materia affirmant D. Bonavent. Scotus & Argentina: negant vero Alex. de Ales, D. Th. & communiter Thomistæ, quia verò res in utramque partem nullo negotio potest defendi, nec pro utraque afferri potest demonstratiua ratio; ideo rationes pro utraque afferemus & dissoluemus.

DECISIO.

Resolutio prima. Rationes principales utriusque sententiæ solubiles sunt: & quidem asserentes esse diversæ speciei, hæc esse possunt.

Prima: Materiæ distinguuntur per id, quod habent magis intrinsecum, sed ordo ad formas in materia est maxime ipsi intrinsecus, ergo debent distingui materiæ per illum ordinem ad formas; sed ordo ad formas in materia cœlesti, & materia sublunari est essentialiter diversus, nam ordo in materia cœlesti est essentialiter ad unam, & ordo in materia sublunari est essentialiter ad formas diversas,

Respondeo negando illud subsumptum, nempe quod ordo ad formas in materia cœlesti, & sublunari, sit essentialiter diversus; est enim tantummodo accidentaliter; nam ordo essentialis materiæ, ut est materia, est ad formam: quod verò sit ad plures, aut ad unam tantum, hoc illi aduenit per accidens; nam si Deus produceret hominem immortalem, ut puta Petrum, eius materia non desineret esse eiusdem speciei cum materia aliorum hominum mortalium, & tamen esset tantum ad unam formam; quod enim materia cœlorum sit tantum ad unam formam, hoc non habet ab aliquo sibi intrinseco, sed ab ipsamet forma, quæ cum non sit intrinseca materiæ, sed tantum composito, non poterit essentialiter diversificare materiam cœlorum à materia sublunariū.

Secunda ratio: informare modo amissibili, specie distinguitur ab informatione modo inamissibili, sed materia cœlorum habet informationem inamissibilem, materia verò sublunariū informationem amissibilem, ergo distinguuntur specie illæ duæ materiæ.

Respondeo: concessa minore; neganda est maior: illa enim informatio penes modum amissibilem, & inamissibilem, est extrinseca materiæ, petiturque à forma; nam si forma v. g. vermis, voluntate divinâ, esset inamissibilis, informaret materiam vermis modo inamissibili, & tamen esset eiusdem speciei cum materia equi, aut cadaueris, ex quo illa materia vermis, est suppositio, esset desumpta.

Tertia: Nobilior materia distinguitur specie ab ignobiliori, sed materia corporum cœlestium est multo nobilior quam corporum sublunariū, quia informatur à forma magis actuali, & modo inamissibili, ergo &c.

Respondeo ex hoc tantum colligi distinctionem accidentalem: unde in forma dice, nobilior materia essentialiter distinguitur specie ab ignobiliori, concedo: nobilior accidentaliter, nego: & ad minorem dices quod materia cœlorum est tantum nobilior accidentaliter.

Quarta: Corruptibile & incorruptibile differunt genere ex 2. *Metaph.* sed materia cœlorum nullo modo est principium corruptionis, materia verò sublunariū est principium corruptionis, ergo differunt specie.

Respondeo peccare argumentum, nam corruptibile & incorruptibile in maiori sumuntur pro re ipsa, quæ est corruptibilis, aut incorruptibilis; at in minori sumitur pro principio corruptionis, non quidem sui, sed alterius: ut enim valeret argumentum, deberet sic poni minor; sed materia cœlorum est incorruptibilis, & materia sublunariū corruptibilis: & tunc negatur hæc pars; tam enim materia sublunariū est ingenerabilis, atque incorruptibilis, atque materia cœlestium corporum.

Quinta: quam principalem existimat Ruvius est hæc: si materia cœlorum & sublunariū essent eiusdem speciei, corpora cœlestia essent corruptibilia, quia materia cœli esset capax aliarum formarum; at hoc non; respicit enim essentialiter formam inseparabili modo informantem.

Respondeo tamen sicut supra, nempe materiam

Num. 3.
An materia
cœli & sublunari
si in
dem speciei
rationes pro
utraq. parte
asseruntur
& solvantur
pro negat.
prima.

*Secunda.**Tertia.**Quarta.**Quinta.*